IOANNIS Brunsuerdi, Maclesfeldensis Gymnasiarchæ Progymnasmata quædam Poetica.

Sparsim collecta & in lucem edita, studio & industria Thomæ Newtoni *Cestreshyrij.*



LONDINI,
Impensis Thomæ VVoodcoki,
In cœmiterio Paulino, ad intersignium Vrsi nigri.
1590.


BRITISH
MUSEUM



VIRIS, PIETATE, SApientia, eruditione, honore, præstantibus, munificisq; bonarum literarum Mecœnatibus, D. *Thomæ Henneagio*, & D. *Ioanni Fortescuto*, serenissimæ Reginæ ELIZABETÆ à sanctioribus Concilijs, &c. Dominis mihi summa obseruantia colendis.

QVi (mea dum canto & *Lelandi* Epigrammata) vestris
Ante nouem menses auribus obstrepui:
Nunc, benè *Brunsuerdi* tornata Poemata nostri
Offero. Vos cœptis (oro) fauete meis.
Vos (inquam) quos alma sui Regina Senatus
Adscripsit numero, magnificóque choro.
Atque potestati quorum commisit habenas,
Ampla domi vt fiant munia, vt ampla foris.
Vos, quibus Angligenæ cuncti ampullantur ouantes;
Vos, quorum è labijs Attica mella fluunt.
Pro solita bonitate (precor) candoréque mentis
Ingenuæ, nostra hæc consulitote boni.

Dignitat. V. *deuotiß*.

Thomas Newtonus.

In hæc D. Io: Brunsuerdi Præceptoris opt. Poemata, Hugonis Winingtoni στιχίδιον.

PIrythoum *nigri tendentem ad limina Ditis,*
Theseus *ad Stygias est comitatus aquas.*
Defuit & nunquam Pylades *Phoceius* Oresti,
Fultus Achillæa est sæpè Patroclus *ope.*
Tu tamen hos longè superas pietate, Magistrum
Qui asseris ex fati conditione tuum.
Penè etenim tot iam vigilata in carmina noctes
(Proh dolor) immundo deperiere situ.
Sed Præceptoris sortem miseratus, ab vndis
Hæc Acharontæis tu monumenta rapis.

Ad Thomam Newtonum, de horum Poematum editione, Guil. Hanfordus.

BRunsuerdum *montosa suum* Maxfeldia *deflet,*
Quem rigido inclusit trux Libytina rogo.
Ac præceptorem deflet numerosa iuuentus,
Sed quæ tarda venit, vana querela venit.
At licèt ille breuis defunctus munere vitæ,
Secessus ierit lætus ad Elysios:
Tu tamen hoc præstas, meliore vt parte superstit,
Effugiántque auidam carmina culta pyram.

Ad eundem, Reginaldus Briscous.

antipelargia

ANtipelargian *didicisse videris, amico*
Brusuerdum *studeas qui celebrare stylo.*
Illo, te, nobis, rem præstas candide dignam
Newtone: *hinc & erit patria grata tibi.*

Ranulphus Barlous.

striblig[o] vel stribiligo.
[s]tribligo. solæcismus: incongru-
[...]itas: ~~in[...]itas~~.
[a]pinæ. trifles.

HÆc *pia scripta scatent nulla striblìgine, nullas*
Hic apinas, tricas, quisquiliásue legis.
Optima *sed doctis condita* Poemata *philtris,*
Musarum strophis & variata nouis.

[p]hiltra. amorous potions.
[s]tropha. æ. subtiltie in arguing.
a-vilie dscripte ---

IOAN-



Ioannis Brunsuerdi, Maclesfeldensis Gymnasiarchæ, Poëmata.

Dauidis cum Golia Philistæo congressuri panoplia.

1.Sam.17.

GRandia dum paruis aptaret regius olim
 Psaltes arma humeris, quæ modò Saulis erant:
Proiecit, roseóque hæc insuper addidit ore,
 Vah, mihi non quadrant, sed magis ista nocent.
Nam grauis offendit cassis caput, & latus vrget
 Lorica, atque ægris passibus ingredior.
Iniustum femur hoc gladium gerit, ah, magis ensi
 Adstrictus videor: sint procul ista, procul.
Paruum parua decent, magno molimine factis
 Utere rex armis, nam tibi conueniunt.
Pastori baculum concedas, peráque fundæ
 Accedat, famulo sunt satis ista tuo.

Asclepiadæum.

DVm Saul exuuias, armáque bellica
 Aptaret modicis artubus Isai
Natus, dispareleis continuò excutit
Ornatus, referens, amoueantur hæc,
Nil prodest sed obest tam mihi splendida
Armorum facies, tantáque vastitas:
Nec ritè ingredior, tam graue tegminis
Sustentans onus, ah tollite, tollite
Loricam hanc iuuenis pondus inutile

Membris exiguis, nempe aliud genus
Pugnæ percupio. Posco domesticum
Pastori baculum, notáque verbera
Fundæ: vah, minimis quàm benè congruunt,
Quæ sunt parua viris? fortia fortibus,
Depono hæc humeris grandia grandibus.

Phaleucium.

IVdam dum lacerat malignus olim
Goliath, *malè prouocátque numen,*
Blasphemus, tumida ciétque voce
Ad pugnam: emicuisse Iëssenatus
Hæbræi lyricen decúsque templi
Tum fertur, populo nefásque tantum
Sese, vt dilueret, dicasse sacro.
At postquam manibus librauit alti
Regis panopliam, reponit, atque
Sic fatur: validis relinquo vasta hæc,
Vasto digna viro, grauat ferentem
Cassis, tum gradiens laborat omne
Corpus, fulmineo latúsque fessum
Constringi queritur mucrone, cedo
O rex exuuijs; rudis bacillus,
Armabit benè, missilisque funda.

panoplia. complete harnesse.

Sapphicum.

MEnte vesana truculentus olim
Dum gigas vrget populum sacrato
Fœdere insignem, violátque numen
Ore cruento:
Horret aspectum, refugit duellum,
Fortis educens gladium, pauescit
Agminis princeps, trepidánsque turba
Conticet omnis.
Non tulit tristem speciem profundi
Pectoris vates, fidicénque nabli

nablum. i. psaltirion. [a]n instrument much like a harpe.

Doctus

Doctus Habræi, generoso Iësse
Semine cretus.
Prodit erecta facie, speíque
Plenus inuicta, patriáque magnum
Spiritum donat, iuuenis per omne
Nobilis æuum.
Vasta sed regis simulátque strinxit
Corpus armatura, reponit à se
Pondus iniustum, placidóque verba hæc
Pectore fudit.
Magna loricæ grauioris angor
Mole, nec gressus moueo expeditos,
Degrauat cassis caput, atque iniquus
Ensis adurget.
Grande gestamen tibi cedo princeps,
Grandibus quadrans humeris, bacillus
Hic teget suetum rudis, atque agrestis
Verbera fundæ.

Ad Robertum Ridingum Tudysuallensem.

IAm quater castam faciem propinquo
Condidit Phœbo, *siluítque, iustis*
Et quater flammis micuit retecto
Cynthia vultu,
Dum tuas magno studio tabellas
Mente suspensa opperiens, inani
Aurula ducor, taciturnus inter
Spémque metúmque.
Vt fera, in saltu numerosa latrat
Quam cohors, amnis properat perenne
Ad caput, fauces gelidáque gestit
Mergere in vnda.
Parce crudeli (precor) immerentem
Tœdio suspendere, parce amantem

Tàm mora longa cruciare, iustis
Parce querelis.
Non ego extremi Tanais profundos
Incolo campos, vel inhospitalis
Caucasi, vel quos nimis æstuosa
Zona perurget.
Corde vicinum, studio propinquum,
Et loco me sors tulit, atque eodem
In solo tecum iuuenes polire
Iussit agresteis:
Turpe cum vocem ratione cassa
Bestiæ fundant, animal superna
Mentis vt compos careat sonora
Munere lingua.
Nec modos cessant dociles citante
Æra Dodones radio crepare
Inuicem certis numeris canora
Voce lebetes.
Crescit at multo, velut alnus, vsu
Quam fouet mitis Zephyrus venusta
Musa, scribendi facit expeditum
Crebrior vsus.
Ingenî vires acuit palæstra
Musica, vt læsa silicis coruscus
Emicat vena atque mouente surgit
Ignis ab Euro.
Redde præclusæ modulos loquelæ:
Redde: quid cessas? mora quæ retardat
Debitas nobis toties tabellas,
Docte magister?

Ad D. Pendiltonum ludi Mediolanensis magistrum.

ÆQuiùs nostras patiare doctis
Ingeri chartas studijs, agrestes

Sint

Sint licèt, sint illepidaque ludi
Culte magister.
Semper adnixu grauiore pressis
Immori chartis, minuit vigorem
Mentis, obtundens, variique res est
Plena pericli.
Non diù perstant requie Camenæ
Quæ carent iusta, vicibus refulgens
Gaudet alternis, neq; semper vrget
Cynthius arcum.
Sumit & frontem genitor serenam
Per vices tristes animos remittens,
Templa nec semper sonitu verendo
Concutit alta.
Lenta paxilli nimio coacta
Chorda tormento, resoluta damnat
Musicen, quærit sapiens leuandis
Gaudia curis.
Dicitur Cæsar *grauibus solutus*
Imperî curis, agitasse paruas
Per iocum muscas, auidoq; ludum
Vngue volucrem.
Cuius excelsas Solymas Iüdæ
Nomen antiquum, instabilemq; Idumen
Frater expugnat, Latij decúsq;
Delitiaq;.
Clarus inuicta grauitate Censor
Tetricum fertur posuisse vultum,
Fertur & Baccho maduisse virtus
Prisca Catonis.
Præda non semper tenuis rapinam
Alitis vitat Iouis *arma docti*
Ferre, & insignem puerum quem aquosa
Sustulit Ida.
Fronte percurras hilari, benigni
Pectoris voces, facias & æqui

paxillus
diminut: a
palus. a
Little stak

Tàm mora longa cruciare, iustis
Parce querelis.
Non ego extremi Tanais profundos
Incolo campos, vel inhospitalis
Caucasi, vel quos nimis æstuosa
Zona perurget.
Corde vicinum, studio propinquum,
Et loco me sors tulit, atque eodem
In solo tecum iuuenes polire
Iussit agresteis.
Turpe cum vocem ratione cassæ
Bestiæ fundant, animal supernæ
Mentis vt compos careat sonora
Munere lingua.
Nec modos cessant dociles citante
Æra Dodones radio crepare
Inuicem certis numeris canora
Voce lebetes.
Crescit at multo, velut alnus, vsu
Quam fouet mitis Zephyrus venusta
Musa, scribendi facit expeditum
Crebrior vsus.
Ingenî vires acuit palæstra
Musica, vt læsa silicis coruscus
Emicat vena atque mouente surgit
Ignis ab Euro.
Redde præclusæ modulos loquelæ:
Redde: quid cessas? mora quæ retardat
Debitas nobis toties tabellas,
Docte magister?

Ad D. Pendiltonum ludi Mediolanensis magistrum.

ÆQuiùs nostras patiare doctis
Ingeri chartas studijs, agrestes

Sint licèt, sint illepidaque ludi
Culte magister.
Semper adnixu grauiore pressis
Immori chartis, minuit vigorem
Mentis, obtundens, variique res est
Plena perîcli.
Non diù perstant requie Camenæ
Quæ carent iusta, vicibus refulgens
Gaudet alternis, neq; semper vrget
Cynthius arcum.
Sumit & frontem genitor serenam
Per vices tristes animos remittens,
Templa nec semper sonitu verendo
Concutit alta.
Lenta paxilli nimio coacta
Chorda tormento, resoluta damnat
Musicen, quærit sapiens leuandis
Gaudia curis.
Dicitur Cæsar *grauibus solutus*
Imperî curis, agitasse paruas
Per iocum muscas, auidoq; ludum
Vngue volucrem.
Cuius excelsas Solymas Iüdæ
Nomen antiquum, instabilemq; Idumen
Frater expugnat, Latij decusq;
Delitiaq;.
Clarus inuicta grauitate Censor
Tetricum fertur posuisse vultum,
Fertur & Baccho maduisse virtus
Prisca Catonis.
Præda non semper tenuis rapinam
Alitis vitat Iouis *arma docti*
Ferre, & insignem puerum quem aquosa
Sustulit Ida.
Fronte percurras hilari, benigni
Pectoris voces, facias & æqui

paxillus diminut: a palus. a little stake

 Et

Et boni, externis memor ac si amicus
Mittat ab oris.
Fronte, qua lucem reuehens quadrigis
Fertur exultans, tenebrásq; Phœbus
Dissipat noctis, placidoq; terram il-
Luminat ore.
Fronte, qua princeps sitibundus olim
Persidis magnus, putealis haustum
De manu agresti rapuit liquoris,
Munus vt ingens.
Qua lares olim subit hospitales
Rusticæ angustos Hecates, amicus,
Et comes qui Pirythoi, biformi
Cæcrope cretus.
Qua demùm nostri generis redemptor
Mente diuina viduæ senile
Munus aspexit, rutiloq; Iudex
Prætulit auro.
Non edax hæc procreat & veneni
Fertilis liuor, neq; gloria altum
Verticem tollens, sua nec adorans,
Séque philautus.
Non id est nobis animi, facultas
Tanta nec victis, humiles, humíque
Repimus tractim, tenebris pedem nec
Mouimus vnum.
Nec caballino labra nostra fonte
Tinximus, nec Pieridum sacrata
Fronde donatis licuit quiesse in
Rupe bifronte.
O beatos nos, nimis ô beatos
Oscula affixis pedibus pudicis
Ferre si detur, procul & verenda
Ora tueri.
Me frequens rumor, penetransq; docti hue
Nominis splendor mouet vt tabellas

Porrigam,

Porrigam, quales potuit Minerua
Promere nostra.
Si roges forsan sibi quid procaces
Quæritent Musæ; insinuare nempe
Dexteram dextra, pede pésq; nexu vt
Hæreat arcto.
Iam vale nostri memor, & recepta
Litteræ fac vt redeant, feracis
More telluris, dominumq; multo
Fœnore ditent.

Ad Io. Brechgyrdlum.

BIs sex flammifera concitus orbita
Phœbus proripuit signa per aurea
Cursus, ac toties emicuit vaga
Accensa facie soror:
Nostram dum pietas perpetuò tua
Aurem personuit, castáq; pectoris
Docti simplicitas, & studium tetri
Erroris tenebras fugans.
Gaudebunt alij sæua per æquora
Aduectis Arabum mercibus, inscij
Dum tutam fugitant pauperiem & lares
Securos nequeunt pati.
Sunt queîs vnus honos arma minacia
Latè per populos spargere dissonos,
Vt sceptrum Oceanus terminet arduus,
Et famæ inuideat polus.
Est cui tergeminos prodiga sanguinis
Hostilis titulos accumulat manus,
Ius & fas violans, vt pateat truci
Quæsitum sceleri decus.
Non desunt populi quos fauor ambitu
Tractus sollicito lactat, & aurulæ
Voces ancipitis: Quiq; notarier
Porrecto digito petunt.

Te clarum faciunt Pierides, sacri
Phœbi casta cohors, nec poterat tuum
Nomen liuor edax carpere, Nocte nec
  Et Somno genitus Deus.
Te puris Helicon spargit odoribus,
Pymplæa & vario flore onerat comas,
Fauces rore sacro Castalius latex
  Vena perpetua rigat.
Te Vatis Samij littera per latus
Dextrum sentit iter tendere pertinax
Astrææ vitijs cedere nescia,
  Cœlum dum liquidum rapit.
Sanctum pectus habet relligio & fides
Incorrupta, pios promouet & gradus,
Et ceu templa, colunt Gratiæ, candidæ
  Et Nymphæ & Veneres simul.
Fœlix ô nimium, qui dubios Deæ
Fallacis strepitus, blandaq; munera
Calcâris pedibus fortis, & horridi
  Infernas Herebi domos.
Fœlix ille tuæ qui ferulæ manus
Submittit teneras & tolerat piæ
Vitam militiæ, qui virides tuo
  Annos transigit in sinu.
Tam raras tacito rusticus an pudor
Virtutes calamo mittet? inertia
Indignáque tegent fraude silentia?
  Lucernam an modius premet?
Vos, ô dij meliora: Eloquar, eloquar,
Nec iustis patiar laudibus inclytas
Dotes destitui, perfida ne bonum
  Lingua & dissimulet deum.
Quo nunquam radijs lustrat iniquius,
Dextra qui celeres ignipedes regit,
Ex quo currum agilem cœna Thyestæa
  Et dirum repulit nefas.

Non

Non quod nostra valet promere fistula
Dignum quid meritis, non mihi si siet
Misenus comes, aut cærulei sonans
  Mirandùm lituus Dei.
Riuus fonte cadens at placido fluit
Authorem repetens in mare murmure,
Vastus nec gremium Nereus obuium,
  Quamuis exiguo, negat.
Sic, nostra ô nitidum qui super æthera
Regnas, cuncta tuens, munera supplici
Deprompta è studio amplectere, lætus &
  Clemens plasma tuum capis.
Nec pelles olido respuit à grege
Sumptas Amramides, queis tegeret sacrum
Arcanum, pietas nectare candido
  Pauper thure litat Deis.
His tu consimilis, splendidius cui
Pectus Musa dedit, leniter & tuo
Vt dignum est animo, suscipies meas
  Nugas, docte vir & probe.
Ne qui sim maneas nescius, accipe,
Punctonensis ager me tenet, hic rudem
Ætatem instituens, inter aues rudis
  Agrestes Coridus strepo.
Cunctis nempe alijs tot gradibus minor
Visus, quot reliquos stella diem ferens
Ignes exuperat, quot vel Aëdone
  In cantu est Corydus minor.
Tanto (vera loquor) pessimus omnium,
Quem tu non modicis laudibus obruis,
(Sensi) nec modicam debeo gratiam,
  Quanto tu optimus omnium.
Hic solùm niueam promeritus notam,
Doctos summa homines quòd recolo fide,
In quo iure tenes ordine principem
  Nostro iudicio locum.

Misenus. tubicen: primu[m] Hectoris: postea Æneæ.

Coridus.

Æedon vel Edon mons Thraciæ. ab hoc monte vicini populi dicuntur Edoni, vel Edon[es] Horat. non sanius bacchabor Edonis populus est bibacissimus

Lux optata mihi nascere, candida
Lux, quæ nos socijs iungis amoribus:
Regnabo Assyria sorte beatior,
Spernam Mygdonias opes.
Exoptata dies, grata eris haud minùs
Quàm ros à superis Hermonium ruens
In montem, aut oleum suaue quod in sacram
Barbam pontificis fluit.

Hermon mons iuxta Iordanem

Ad Io. Brechgyrdlum Hymnus.

SVrge, mordaces geniale laxans
Nablion curas, vigilato, & omnes
Tende nunc neruos: Agedum, canendus
Christus Iēsus.
Præpotens rerum sator, ô coruscum
Qui tenes cœli solium, iacenteis
Supprimens terras pedibus, per omne
Viuis & æuum.
Cuius occultam faciem tenebræ
Vestiunt, inconspicua remotus
Luce qui splendes, veherisq; venti
Præpete penna:
Cuius astrorum numerosa nutu
Turba procedit, vigilésque seruat
Ordines, queîs tu imperitas, tenésque
Sceptra verendus:
Tu deus noster, Deus es perennis,
Fons manens vitæ, vnde fluit bonorum
Riuus, æternúmque vigens beato
Copia cornu.
Fons inexhaustus bonitatis, almæ
Lucis immensum pelagus, serenæ
Pacis adsertor, via, vita, lex &
Arbiter æqui.

Te.

Te, suum quaquà patet actus orbis
Lumen agnoscit, generísque nostri
Vindicem, cuius metuunt ab ira
Cuncta creata.
Dum tua affulget bonitas, maligno
Nil licet: sanctam pia námque prolem
Dextra signauit, licèt vsque frendens
Ilia rumpat.
Te sine, vt toto nihil est in orbe
Dulce, sic tecum nihil est amarum:
Tu quies, tu meta, animaq́ dulcis
Portus & aura.
Pastor inuictæ pietatis, agnus
Nescius labis, maculaue: mundi
Qui nefas, sæuam superásque mortem
In cruce dira:
Te decet solum decus atque virtus,
Gloria & laus, imperium, potestas,
Prædicet te, concinat & tibi vni
Supplicet orbis.
Non siet nobis miseris, malíque
Prodigis, ô summe opifex, misellis
Non siet nobis honor hic, tibi sit
Proprius vni.
Nam tibi quicquid spaciosa cœli
Templa, quod vastum mare, quodque tellus
Continet, noto trepidat, genúque
Nomine curuat.
Fac tuum iustis celebremus omnes
Laudibus nomen, timeamus omnes,
Fac tuum vitæ ratio gerendæ
Spectet honorem.
Tu meo præsens fer opem, manúmque
Porge Brechgyrdlo, tibi vt vsquè & vsquè
Floreat pectus, vigeatque sanum in
Corpore sano.

Qui feros cura meditatur omni
Atque acri mores cruciare lima:
Ore Noruicum *placido, erudito*
Ore reformans.
Ille septenis vicibus recoctæ
Maximo incumbit studio loquelæ,
Exq; ea pendens operatur omni
Nocte dieq;.
Ille commissum fidei talentum
Cautus exercet, geminatq; sortem,
Ille opes torpens domini sepulchro haud
Mandat inerti.
Hunc precor serues pater ô benigne,
Qui manu summas retines habenas,
Augeas, dites, animæq; viuat
Pars bona nostræ.
Tuq; Noruicensis *ager iuuentus*
Quam nutrit, doctum ex animo magistrum
Optime de te meritum, verere, am-
Plectere, adora.
Diua longæua lege fila vitæ,
Stamen extendens Lachesis, memórque
Dicito, multos teretes in annos
Currite fusi.

Ad eundem.

B*Retchgirdle, quo non alter amicior*
Mortale spirat, nec magè candidus,
Te solitis fidibus saluto,
Noruici, *patriæ decusq; nostræ*
Brunsuerdus; *Olim qui tibi cognitus,*
Lusi proterua multa procax fide,
Lesbiaca modulis puellæ,
Doctæ dum strepui molestus auri.
Quis nunc beatum fons rigat? inclyta
Dyrce? Caballi an nobilis vngula,

Pieria

Pieriæ celebrata turba?
Parnaſſi an gemino recumbis antro?
Zenona vultu num celebras graui?
Stagyræ alumnum, ſiue Aniti reum?
Atria num Solomonis ampla?
An mauis colere hiſpidum Platona?
An more Hyblææ peruigil incolæ,
Exempla doctum congeris in ſinum?
Hiſtoriam memorémue luſtrans
Annoſi recolis volumen orbis?
Eſt nempè velox, eſt animus tibi
Intenſus, oſor turpis inertiæ,
Impatiénſque moræ, ſuperna
Adſuetus rapido ferire iactu.
Tu ſempor vrges improbus anxium
Munus magiſtri, Lucifer igneo
Seu fugit approperante Phœbo,
Seu Veſper ſolitas reducit vmbras.
Contractus omni dum ſtudio foues
Arteis honeſtas, & pede promoues,
Fungeris & vice cotis, aſprum
Quæ ſe comminuit terendo ferrum.
Me Muſa, parco dum fruor ocio,
Craſſo relaxat pollice, me chelys
Ruſtica reſtituit labore
Defeſſum, ſtrepitu leuans canoro:
Quali remotas Arcadiæ Deus
Syluas repleuit Corniger, arbitrum
Fiſtula cum ſuperante Phœbo
Agreſtis docuit ſonare Tmolum.
Omnis videtur iam Pylij mihi
Ætas peracta, aut Dardanij ſenis
Cui croceo exoriens marita
Æternum peperit decus cubili.
Ex quo diſertas litterulas mei
Vidêre ocelli, queis pretium graue

Iam patet heu nimium, relictus
Dum desiderio peruror acri.
Non sic Achiui nominis, Icaris
Splendor remansit, dum remeat suus
Arte Laertiades dolosa:
Texturam vidua manu resoluens.
Non sic sinistro sydere Phosphori
Oracla natus Delia dum petit,
Sollicito Alcyone fatigas
Supplex corde Deos, virum negantes.
Non tam frequenti voce latrantium
Saltus penetrat pracipiti gradu,
Acta, sitim cupiens prementem
Undanti fera temperare vino:
Ut nox amica conscia subdola
Suspensa torquet pectora amantium,
Ancipiti cruciata fraude
Æquali numero latentis hora:
Urgente dulces sic animo voro,
Sic spe tabellas, nec pudor aut modus,
Quin mihi displiceam, remissos,
Ignauósque gemens abire soles.
Sed quid canenti vellicat admonens
Brechgyrdlus *aurem? numquid abest rei?*
Pollicitine fides laborat?
Num prauum antetuli sciens honesto?
Deprensus arcto, me miserum, loco,
Frustrà renitor: nám mihi mens memor
Tramite non tenui reuersa
Prodit, nec patitur latere sontem.
At te per omnes, parce, Deos precor,
Ignosce lapso, dum celerem manum
Polliceor facilis, volentem
Nerui destituunt, vigórque mentem:
Ut membra molli victa Deo iacent,
Defuncta motu, mens agilis viget,

Phosphorus i. Lucifer...

Longè

Longè aciem vigilémque tendit,
Sed pigrum queritur iacere truncum.
Nam sæua promptos contrahit impetus,
Aláſque tenſas deprimit horrida,
Ingenijs inimica dextris,
Plantis ſuppoſito Penia plumbo.
Laſciuus olim flammigeri puer
Auriga currus, vt dubium genus
Excutiat, memorandus orbi
Deuotum Eridano dedit cadauer.
Et tu feroci Priamide indole,
Sub Marte iniquo, congrediens truci
Æacidæ moreris, cruentum
Inſcribíſque ſolum ſupinus haſta.
Sic ſic ineptus munia dum ſequor
Maiora neruis, nec pede metior
Me ſtolidus proprio, inhonorus
Fractis ludibrio relinquor armis.
Ingreſſus extra notitiam mei
Sublime munus viribus impotens,
Vela retrò monitus reflecto,
Et tutum cupio ſubire portum.
Tu cui perenni fons ſalit exitu
Viuentis vndæ, primitias cape,
Vnde videre licet, ſat eſſe
In magnis iuueni voluiſſe rebus.
Has tu, ſtudenti dum requies datur
Dulcis cohorti, candidus aſpice,
Effice deinde manus ſupremum
Vt doctæ capiant preces honorem.
Quod quo libenter perficias magis,
En hoc volumen materiæ piæ,
Comiter accipies, amici
Vt munus cupida teréſque dextra,
Sed plura præſens: iámque aderit dies,
Chriſto dicatus, nam Genio litans,

pemia. paupertas.

Et

Et Veneri simul & Mineruæ
Inuisum necuit suem colonus.
Durúsque fossor, nunc animo cuti
Indulget omni, tum pede libero
Subsilit, in Saliúmque morem,
Exosam properat ferire terram.

Ad Io. Belsolum.

NOn tam remotas flammiger impulit
Titan quadrigas, nec leuis Antij
Tutela tam fallax iniqua
Inuidia premit immerentes:
Quin eruditi nominis huc tui
Splendor penetret, candide Belsole,
Pennáque prodentes latentem
Præpete nobilitent Camœnæ,
Gratésque alumno non sine fœnore
Dulci rependant, qui sapientiam
Exarsit immani labore
A teneris meditatus annis.
Apparet hinc iam nobilitans fides
Diuæ Sophiæ, pollicitæ suis
Cultoribus summos honores,
Et minimè interitura dona.
Sic námque semen diua per inclytum
Deprompsit olim vatis Iessæi,
Dum corda fingens in labellis
Sessitat, ore ruens profundo.
Hoc mente vidit Pythagoras acri,
Cautus figura pingere sectili
Tergum laboris dulce ferre
Grande decus, requiémque fesso.
Præuidit almi deliciæ Dei,
Sacro repletus flamine Daniel,
Doctos refulsuros patentis
Lumine plus oculóque mundi.

Antius urbs Latij...

Doctrina

Doctrina longè porgit in vltimas
Latéq; terras nomen amabile,
Quod non edax liuor nigrabit
Nec volucrum series dierum.
Quà Syrtis acri vultu Hyperionis
Afflicta sæuit, quà Boreas fremit,
Quà Phœbus exurgit coruscus
Ad solitum properans cubile.
Hæc astra celso vertice transilit,
Hæc lustrat imum Tartaron & Chaos,
Non vlla rerum est tàm remota
Quin acie vigili penetret.
Hac, bruta tellus ceu sale plurimo
Condîtur, ardens hæc pedibus præit
Lucerna, ne caligo mentes
Occupet, aut statuat nocentes.
Doctrina, custos fida voluminum
Labentis orbis, res hominum notis
Illustrat, abstrusásque pandens,
Vindicat à tenebrosa Lethe.
Huic nempè vilet, nullius est pretî
Collatus Hermus gloriáque æmula
Pactôlus, aut fœlix Olympi
Conscia meta Tagus profundi.
Gemmæq; sordent quàmlibet inclytæ,
Sylua Sabææ, quicquid & abditi
Scrutator Eous metalli
Visceribus ruit è parentis.
Subsidit, orbis quicquid habet capax
Nutritue Nereimarmoreum solum,
Ipsa & parens rerum caducas
Diuitias negat esse tanti.
Doctrina summum conciliat decus,
Magnes amoris, philtron & efficax,
Mortale coniungens beatis
Cœlicolis genus, ima summis.

Salue per omnem temporis orbitam
Laudanda diuûm, salue hominum sacra
Interpres, elucens imago,
Indicium, speculúmque mentis.
Cuius vigenti munere Gadibus
Vicina constat decolor India,
Nilúsque non certis ab oris
Multifluus Tanain salutat.
Phœbique sæuis obuius Æthiops
Nudus sagittis, & Numides vagus
Agnoscit extremum Britannum,
Sauromaten, Rhodanique prolem.
Hoc tam stupendum contrahit organon
Genteis remotas, prodit & intimos
Mentis recessus, it per vrbes
Inter vtrumque polum iacenteis.
Quid multa doctis? hac ope Palladis
Fidum ministrum noscito Belsolum,
Cui Diua non parcè locuples
Ingenium dedit haud malignum.
Suscepit illud ceu generosius
Hyndæus. Hyndæus aruum splendidus artifex,
Summáque cultura, expolitum
Frugiferúmque suis reliquit.
Vnde est profecta vis iuuenum acrium,
Florens probatis artibus, vt solet
Ex alueo prodire denso
Agmine turba laboriosa.
Gaudet susurro mons Siculus leui,
Hymettus. Gaudétque Hymettus murmure blandulo,
mons Atticæ. Feruet labor, cellæq; dulci
Nectare multiplices redundant.
Sic fertur olim clara virûm manus
Armísque sumptis viuida, Pergamon
Æquâsse telluri superbam,
Qui latuere priùs doloso

Deño

Dono Mineruæ. Flebile Troades
Plangunt, sed iram promouet Æaci
Proles paternam, atque in Deorum
Templa furit, lacerátque numen.
Hæc inter adstat structor Epeus doli,
Spectans stupendi muneris exitum,
Nec credit horrendas ab arte
Palladia emicuisse fraudes.
Sed quid Mineruam sus canit hispida?
Quò Musa neruos tendere destino?
Oblitus arcta est quàm supellex,
Ingenij sterilisque vena.
Sed parce fasso, neue tuum precor
Damnato seruum, quòd rude Belsolo
Munusculum texo recentis
Auspicium redeuntis anni:
Non quod venustis carminibus queam
Mulcere doctum pectus, homuncio
Illotus, vnum vel pedem vix
Raptus ab inscitiæ tenebris.
Sed quò benignis alloquijs bona
Certè voluntas, & pateat fides:
Figámque radices colendi
Perpetuò inq; vices amoris.
Hæc meta scriptis, terminus hic siet
Votis: Britannæ qua die ELIZABETH
Gentis gubernaclum virago
Et diadema tulit verendum.
Necte ô fragrantes, necte age candida
Pymplæa flores, nobile queîs caput
Cingatur, æternúmque castæ
Duret honos decus atque frontis.
Et vos decentes huc citò Gratiæ,
Iunctæq; Nymphis ter pede libero
Pulsate terram, nunc cruenti
E manibus domini redemptam.

Parete Musæ, tuque libens veni
Cyrrhae vates, hîc Helicon erit,
Parnassus, hic Dyrce, volantis
Hic scatet vnda memor caballi.
Adsit & Orpheus, heus aliquis Linum,
Comptisque Iopan crinibus euocet,
Nobisque sistat Demodocum
Mæonia cythara celebrem.
O Diua longa, Diua potens breuis
Fatalis auræ, quam penes est colus,
Clementer euoluas sequaces
Et placidè diuturna filos:
Exegit olim quos Pylius senex,
Cumæa Phœbas, Memnonis aut pater,
Alésque, quos sese regignens,
Aut numerat Iouis arma portans.

Demodocus. citharœdus, quem Homerus inducit in conuiuio Alcinoi regis

Ad eundem.

NE mihi contingat diuos celebrare faventeis,
Sed decus à scriptis sit precor omne meis:
Castalidúmque choro viuam proiectus ab omni,
Ni tua sint animo carmina grata meo,
Belsole, vt Ennæa quod vertice funditur Hyblæ,
Quod metuens hyemis turba operosa legit.
Quod meritò Alcidæ iuuenilis porrigit Hebe,
Cœlicolum regi Dardaniúsue puer.
Quódque ab odorifera decerpit arundine, Phœbi
Conscius ad superos exorientis Arabs.
Pauca quidem, sed pauca satis fecere, voluntas
In pretio est, stat mens res pretiosa nimis.
Sic humili fertur vasti moderator Olympi
Carne latens, seruo dum pede calcat humum,
Muneris authorem vultu spectasse sereno,
Prodiga cum diuis æra dicauit anus.
Oblatámque sibi fugienti Persa, deorum
Suscipit vt munus, rex sitibundus aquam.

Ennæus. Enna ciuitas insignis in Sicilia: Cereris templo nobilitata, nemore[que] sacro: ex quo Proserpina rap[tam] fuisse incolæ [illegible] hinc [illegible] cognom. Ennæa [illegible] etiam Ceres

Suscipit

Suscipit ac rapum Francorum ductor, agrestis
  Quod fertur grata mente tulisse Conon.
Nec setas refugit sancta ad velanda caprinas
  Amramides; diuis thure litauit inops;
Non surgit pretium numero, sed pondere: in arctum
  Quæ bona, se claudunt, quæ mala, fusa iacent.
Multiloquo comes est error maculosus, & æqui
  Deuia verboso plurima ab ore fluunt.
Pauciloqui nuda gaudent breuitate Lacones,
  Pauca sed immensum verbula pondus habent.
Quid minus Eöq in speciem quàm gemma? sed ampla
  Diuitiæ regnant corpore in exiguo.
Cernitur extremos fera nam Getula per vngues,
  Carceribus quamuis abdita deliteat.
Hoc pretiosa mihi præstant tua carmina, in ipsis
  Quòd videor mentem mente videre tuam.
Quid dicam, immerito facilis quod splendida amoris
  Signa iacis, dulcem & nectis amicitiam.
Qua nihil in toto spectat Sol gratius orbe,
  Dum celeri immensum corripit axe polum.
Hic libet vsq; moram trahere, hic certamine longo
  Dextra plicet dextram, pes premat atque pedem.
Dent superi fausto contractum sydere fœdus,
  Ut stabile hoc nobis perpetuúmque siet.
Non me clara fides Ægidæ, notus amico
  Non animo Pylades, Euryalúue comes,
Non Ionathas sanctæ, Siculæ non gloria gentis
  Pythia me vincet, non Titus Italicæ,
Nec vos longæua meriti præconia famæ,
  Quos Musa ad superos Parthenopæa rapit.
At mea vota tamen, si quid mea vota valebunt,
  Hæc sunto, officiys sit modus iste meis.
Ne paruo è tumulo celsus ducatur Olympus,
  Sed metire meo me pede: viue, vale.

parthenope. vna S[...]
[...]num.
Parthenopæus, [...]
adolescens quidam [...]
formosiss. Stat[...]
[...]
... ama[...]

 Thomæ

Thomæ Hydi Virgilius, ad Inuentorem.

O Qui me tollis delapsum sorte maligna,
Qui sim, qui fuerim, carmina pauca lege.
Olim iuncus eram, genuit septemfluus amnis
Nilus, ab ignoto qui vagus orbe fluit.
Littore direptum patrio, conuertit in vsum,
Artificis crebro vulnere docta manus.
Inde per ignotas gentes, per regna, per vrbes,
Per mare, per terras, per loca cuncta feror,
Qua premit Arcturus, qua torret Phœbus ab austro,
Qua videt exoriens, qua fugit occiduus.
Errantem cepit Crinitus, pressaque membra
Per numeros docuit ferre Maronis opus.
Anglia me loris constrinxit, veste decora
Ornauit, iustum reddidit atque librum.
Inde bis octonis prostantem Hydeius emit
Me iuuenis nummis, adseruítque sibi.
Audis cuius eram, pergratum dulcis amice
Iam facis, & sancto fungeris officio,
Amissum domino si cures reddere noto,
Hoc ius, hoc pietas, hoc Deus ipse probat.
Sic tua non rapiant, qui gaudent viuere rapto:
Sic tibi tuta quies, sic bona cuncta fluant.

Ad D. Wrenchum, Cestrensem Ludimagistrum.

PErlegis plusquàm puerile carmen,
Grandior natu, pietate: recti
Dexter interpres studij, serena
Perlege fronte.
Non ferus dentes acuit Theonis
Liuor, obliquum meditantis ictum,
Ille nec cuius rabiosa sensit
Ora Lycambes.

Nec

Nec sibi fidens nimiùm iuuenta
De gradu seros minitatur annos,
Debito aut canum caput impudenter
Pellere ponte.
Nec manus tentat malè curiosa
Alitis lumen reparare acutum,
Quæ data est olim comes vsque flauæ
Fida Mineruæ.
Est (scio) tutum, stabile & silenti
Præmium; Quid? perpetuáne verba
Nocte damnentur? Taciturna lingua e-
Vertit Amyclas.
Qui faces arcto modio malignus
Subdit accensas, miser, inuenustus,
Inuidus, densa est meritóque pressus
Lumina nocte.
Qui sinit claras animi latere
Laudibus dotes vacuas, benignæ
Nec vident Musæ, radijs nec illum
Lustrat Apollo.
Montis existens operosa moles
Vertice in summo, latitare nescit;
Sed procul fundens decus intuentes
Stringit ocellos.
Te pius notum studiosus atque
Efficit candor, patitur nec vnquam
Repere obscurum, celebríue deli-
tescere in vrbe.
Hoc nefas tollit decus eruditæ
Mentis & splendor, gregis atque docti
Vincit examen, prohibentque gratæ
Mentis alumni.
Te sonat quisquis coluit venustas
Litteras, dextra colit aut Minerua:
Te vehit penna properante Musa
Nescia solui.

Amyclas. scio Amycl
tacendo periisse. igi
Loqui volo - - -

Qualis

Qualis, è multis reuerendus annis
Lassa cui pugnis varijs iuuenta
Eminet ceruix, spatiosa solus
Pascua taurus
Possidet: nil hunc animi est iuuencis
Aggredi, nempè innumeris verendum
Ictibus pectus, trepidique trunca
Cornua spectant.
Qualis, aut tritis Iouis arbor ani
Compitis longa serie virentis
Immemor, multo inuiolata perstat
Quercus honore.
Quam leues circum galeæ, sinistro
Impetu fracti gladij, cruore
Sparsa Gradiuo spolia, atque bello
Parta dicantur.
Non agit cursus adeò remotos
Natus à nostris Hyperione oris,
Quin tuæ nostras probitatis aures
Fama penetret.
Fama, qua non splendidiore gaudet
Æmulus Rheni, Phrygij & Mæandri
Præpotens Anglûm fluuius Sabrina,
Arbiter agri,
Quà patet longè spatiosa clarum
Inter Vxellum *& monumenta* Claudi
Cæsaris, *gens, nobilitata prisci*
Nomine Cambri.
Fama, qua nunc iam monitrice, crassa
Prodit in lucem & sterilis Camœna,
Porrigit qualem indocilis maligni
Glarea ruris.
Limes excurrens vbi montuosus
Cestriam Castro Ducis, atque Derben
Iungit Ebranco, quadruplexq; iudex
Respicit arnum.

Sic

Sis precor fœlix, teneráſque ſanctis
(Quod facis) menteis ſtudijs adornes,
Augeas, dites, polias, diúq;
Viue ſuperſtes.

Ad Michaelem Clyteruallenſem.

QVòd frequens noſtrum celebrat canora
Buccina nomen Iaqueſonus iſthic,
Haud nouum certè facit, inſolénſue,
Docte Michael.
Nouimus quanto ſtudio iacenteis
Suſcitat Muſas, vitijſque noſtris
Lenis indulget, malè perſpicaci
Captus amore.
Vt recens natus validi cothurnos
Geſtet Alcida, ex humilíque mure
(Si placet diuis) elephas in orbem
Prodeat Indus.
Scilicet laudes tribuit benigno
Ore facundus iuuenis, ſed æqui
Deuius, paruo è tumulóque vaſtum
Ducit Olympum.
At pati ſe vim taciturna clamat
Ora mens multo aſſiduè rubore
Tincta, præconem pariterque damnat
Conſcia culpam.
Et meo ſemper pede me ſeuera
Muſa metiri docet, inque nidum
Cogit anguſtum reuocare pennas
Curta Penia. paupertas.
Iſta paucorum, propria iſta laus eſt,
Nempè doctorum, locuplete diuûm
Quos penu paſcit genitor, beátq;
Diuite cornu.
Nos, rudes, indocti, opici, inuenuſti, opici
Caudices, trunci, ſcioli, prophani,

E Dedecus

Dedecus castæ opprobriúmque Musæ,
Grammaticastri.
Sume tu totum decus hoc Michael
Artibus partum eximijs; decentes
Gratiæ donant, chorus & sororum
Suaue canentum:
Vt tibi vultus hederæ sequaces
Candidos cingant, schola quem sacrauit
Agnitum flauæ penitùs Mineruæ,
Non sine plausu.
Vidimus dulces nimis ô libenter
Obuijs raptas manibus Camœnas,
In quibus nostræ studiosa laudis
Cura refulsit.
Insuper doctæ veneranda turbæ
Gloria apparet, studiúmque nostri,
Quando vos mensa simul hospitali
Pauit Atherton.
Quo nihil maius poterit videre
Nostra paupertas, simile aut secundum,
Quandiu mens hæc vegetabit ægri
Corporis artus.
Sordet immenso memoratus orbi
Ros Amyclæus, Siculúmque nectar,
Et nemus fragrans Arabum, lapísque
Sordet Eous.
Sordet & Lydæ pretiosa gentis
Vnda, fuluentes voluens arenas,
Et Tagus Phœbi aspiciens cubile,
Sordet & Hermus.
O ter & fœlix quater ille, quisquis
Liberè nitens pede, tàm colendo
Assidet cœtu, sociáque complet
Tetrada sorte.
Hic honor nobis inopina mouit
Gaudia, vt pulsus rapidi furore

Africi,

Amy Apollo dictus est Amyclæus.
Tetra.

Africi, gaudet patrium subire
Nauita portum.
Cuius vt fauces diuturna torsit
Siccitas gratum genius leuamen
Dexter obtrudat, laticem rapaci
Deuorat haustu.
Non magis læto Capharæa vultu
Vindicem præter fugiente velo
Vidit Argos, distulerat decem quos
Hector in annos.
Mater aut natum reducem, cruentus
Quem domum misit Trasumenus, arcem
Cum ferus mundi petijt tremenda
Hannibal ira.
Nec minor causa hæc, quis enim valente
Mente, non illo cupiat probari
Ore, quod nota probitate punctum
Pertulit omnem?
Tu faue absenti, precor, ô Michael,
Cura quem carpens onerosa ludi
Angit æternùm, requiémque donat
Anxia nullam.
Non abest cordis studium sequacis,
Non abest mens officiosa, promptus
Spiritus perstat, cupiénsque vestri
Semper honoris.
Hactenùs pingui cecini Thalia,
Dum rudes formo pueros, manúsque
Subditas tristi ferulæ, modesto
Verbere pulso.
Non in hoc, Ianum vt videant bifrontem,
Neue Vertumnum, prohibente Sappho:
Quæ Deus mensa, Dea nec putauit
Digna cubili.

Trasu. Thrasumenus lacus in agro Perusin

Canticum virginis Deiparæ.

GLiscit insigneis resonare summi
Numinis laudes animus, serena
Luce perfusus, domino & triumphat
Latus Iesu.
Namque me summo veniens Olympo
Sortis extremæ famulam benignè
Respicit, tanto statuitq; dignam
Ducere honore,
Quantus haud vlli muliebris vnquàm
Contigit sexus: vocor en beata,
Et nimis fœlix, vocor & per omne
Nobilis æuum.
Magna, quæ totus memorabit orbis,
Magna, qui solus potuit, peregit:
Cuius extollunt spatiosa sanctum
Sæcula nomen.
Ille inexhausta pietate, amoris
Pertinax, gentes refouet, perenni
Temporum lapsu, coluere quotquot
Iussa verenda.
Hoc facit Ioua, facit hoc stupendi
Roboris Iouæ digitus, tumentes
In caput frangens proprium superbi
Pectoris æstus.
Deijcit sæui solium Tyranni
Vertice erecto ferientis astra:
Suscitat clarum ex humilique vulgi
Fæce Monarcham.
De penu pascens locuplete, dira
Quem fames morsu tenuauit acri:
Diuitem cassis manibus remittens
Ludit hiantem.
Fronte suscepit puerum paterna
Israel, imis rapiens medullis,

Et sui clemens meminit: fidémque
Liberat, ecce,
Quam dedit sanctis proauis, & heros
Quam graui fessus senio, fidelis
Agminis princeps, auida vorauit
Credulus aure,
Abraham princeps generosus, hora
Conscius læta, facis & serena,
Qua procùl seros maneant ab alto
Fata nepotes.

Ad Io. Halsalum.

NE me fortè putes vilem censere senectam,
Halsale, sis nostri conscius officij.
Magna fuit semper capitis reuerentia cani:
Cuique fuit princeps ordine quoque locus.
Quod sanxere grauis clarissima scripta Lycurgi,
Quod Moses summi pandit ab ore Dei.
Regius & psaltes instinctu flaminis almo,
Erudiens iuuenes talia verba refert.
Qui quæris Sophiam, grandæuum consule patrem,
Quósque vsus docuit multa diésque, senes.
Sæclorum reputa tecum monumenta priorum,
Et vigili priscos discute mente gradus.
Æternumque tulit proles decus illa Diones,
Grandæui vexit qui pia membra patris.
Quatenùs ast honor hic debet prodire, notandum;
Ne cæcus dux sit cæco, & vterque ruat.
Nam quoniam fallúntque senes, falluntur & ipsi,
Nempè hominum soboles, puluis & vmbra fugax;
Cautiùs est tribuenda fides, nec tempore in omni
Iurandum in cani tetrica verba viri.
Námque omnem in carnem mittendum sanctus Ioël
Pneuma sacrum celsa vidit ab arce poli.
Vnde ætas rapido ceu gurgite pulsa prophetet
Iunior in populis, & memoranda canat.

Dione Veneris ma-
trix. Unde Venus
Dionaea cognomi

Hæc lux illa, dedit domini quam dextra, stupendo
  Quæ fulgore micans, lumina nostra ferit.
Qua, mira & nostris proauis incognita ephœbos
  Maturi videas fundere verba senis.
Amplior & vastum quò gloria compleat orbem,
  A tenero immensi laus fluit ore Dei.
Tristis at ille senex, compti persona Terenti,
  Deuius est, dum se cuncta videre putat.
Difficile est tumido errorem pulmone reuelli,
  Cui longo callus tempore adhæsit iners:
Spartanúmue canem tremulo consuescere loro,
  Cui gelidus pigro in corpore sanguis hebet:

Ad quendam.

Dij meliora, procul furor & tàm barbarus absit,
  Inuideam vt scriptis, insidiérue tuis.
Docticanæ aspirant cui Musa, sepia & omnis
  Succus huic tetræ, liuor & omnis abest.
Inuidus excelsum spectat magis atque potentem,
  Nullus in abiectis est locus inuidiæ.
Nil video, inuidiam quod nutriat, est procul omnis
  (Da veniam vero) Gratia, Musa, Venus.
Est tamen, est aliquid pergratum, prompta voluntas
  Scilicet, in scriptis sedulitásque tuis.
Omnia non cernit Bernardus, fallitur omnis
  Et puer & iuuenis, fœmina, virque, senex.
Quisquis enim à curuo callet discernere rectum,
  Ille senex: puer est, qui puerile sapit.
Charus erit Socrates, charus Plato: vera fateri
  Sed liceat, magis est chara Aletheia mihi.
Hæc vino, regi, mulieri, denique mundo
  Præstat, vt adfirmat Salathiele satus.
Hic scopus est fixus, meta hæc, quam tendit in vnam
  Cura hominum solers, peruigil atque labor.
Qui fugit hanc, niger est, Musáque alienus ab omni;
  Qui petit hanc vnam, candidus ille nitet.

Fœlix

Sepia, a Cuttle fish

Aletheia. Veritas.

Fœlix qui scopulum velo fugiente, retrorsùm
Flectitur, erratum noscitat atque suum.
Omnis vt in verum conatus desinat, in quo
Terminus hic scriptis, & modus esto. Vale.

In Theophrastum.

D*Iceris, heu, fato iam iam cessurus acerbo,*
Cecropidûm præstans ô Theophraste *decus,*
Angusto humanæ questus de limite vitæ,
Quódq; nimis celerem mors rapit atra gradum.
Cum spaciosa tamen Phœbæum secula coruum,
Alipidem & ceruum tempora longa manent.
Pone modum inuidiæ, non est Natura nouerca,
Nam benè qui vixit, vixit & ille diù.

Ante cibum sumendum precatio.

I*N te coniiciunt oculos animalia cuncta,*
Expectántque tuas Conditor alme manus.
Túque illis pleno largiris copia cornu
Vt fluat, éque penu das locuplete cibos.
Et pandens dextram summa bonitate patentem,
Munere prælargo condita quæque beas.
Da pater vt nostræ præsit tua gratia mensæ,
Et benedic donis rex opulente tuis.

A cibo sumpto.

O *Deus à tenero qui nos huc prouehis vngui,*
Quique animæ cuiuis iusta alimenta creas,
Missilia effundens spaciosum grata per orbem;
Sit tibi laus & honor, gloria, sitq; decus.
Tu nos sancte pater, tranquilla luce serena:
Lætitiáque alacri pectora nostra reple.
Fortiùs vt modico satiati corpora pastu,
Tendamus dites in pietate gradus.

In ciuilem Mancestrensis ecclesiæ discordiam 1560.

QVò, quò vesana properatis mente verendi
Sacricolæ? quò vos ira prophana rapit?
Quidue petunt prompta fraterna in viscera dextra?
Ciuilis quónam tenditur iste furor?
Aspectúsque truces, & verba minantia verbis?
Cum pede pes pugnans, cum capite atque caput?
Cur tunicam è puro mater quam neuerat auro
Rumpitis, & summi mystica texta Dei?
At non villosus secum sic dissidet vrsus,
Hircana haud ineunt prælia tanta tygres.
Marmaricos iungit concordia fida leones,
Monoceros sociam monocerota fouet.
Sacrilegus nunquam desistet Christon Iüdas
Immeritum, & sanctam prodere velle fidem?
En erit illa dies, Pluti cùm dira libido
Desinet? en vnquam venerit illa dies?
Væ tibi, væ, nunquam satiate Philargyre, factis
Insidiate pijs væ tibi liuor edax:
Væ tibi dire Typhon, non concessure priori:
Væ tibi lucis inops ambitióque furens.
Unde tremenda deûm læduntur numina, sanctum
Et macula (infandum) nigrat inusta logon.
Plurimus hinc auido dulces qui pectore voces
Duxerat, à docti pensilis ore viri,
Qui dictata sui prona hauserat aure magistri,
Mente labat, gressus & genua ægra trahit.
Quod non septeno bis gurgite Nilus & Ister
Eluat, & facinus victima nulla piet,
Hoc, hoc est Latius magna mercede tyrannus
Inuentum, mendax quódque cathedra velit.
Lætus & obliquo spectet quod lumine fallax,
Rideat & tacito pseudopropheta sinu.

At laniata sinus, canos laniata capillos
(Auditis?) Pietas religiosa gemit:
Parcite, conclamans, materna in pectora ferrum,
Parcite crudeles stringere vulnificum.
Nam furibunda petit socium dum dextra cruorem,
Impius, heu, lacerat viscera mucro mea.
Ne certate odijs, precor, ô precor, ira quiescat,
Fraternæ coeant in pia iura manus.
Vt Christi vnanimi splendescat gloria voce,
Fortiùs & Verbi buccina læta sonet.

In laudem diuæ Aletheiæ.

DVm petit grato recubans cubili
Persicus quondam requiem Tyrannus,
Et sopor Baccho vuifero irrigatos
Occupat artus:
Excubans fertur grauium satelles
Arbiter rerum tenuisse menteis
Principum arrectas, posita sub æquo
Iudice lite.
Rebus è cunctis hominum quid eßet
Maximè præstans validúmque, vireis
Quid sibi summas meritò per omnem
Vindicet orbem.
Primus & regi nimiùm potentem
Detulit laurum, propriámque palmam,
Cuius à nutu tremefacta vulgi
Pectora pendent.
Bacchico palmam latici secundus
Calculus plena tribuisse voce
Dicitur, nec vis mulieris ampla
Laude carebat.
Non tulit præstans animi, supremo
Detrahi Numen solio, profundos
Proferens sensus, generosa proles
Salathielis:

Maximum est, inquit, decus, ésque Veri
Præpotens virtus, veneranda semper
Dignitas, Veri facies stupenda, ac
Nescia vinci.
Vastus est terræ & sinuosus orbis,
Ambitus cœli, maris & profundi:
Sol celer cursu, rapidóque cuncta
Lumine lustrans.
Nil tamen totus videt orbis, una
Veritas quod non superet, stupendis
Deserat post se spatijs, & imo
Sub pede calcet.
Vertice hæc celsum generoso Olympum
Transiens, magno penitùs Tonanti
Assidet, nudata humeros, nitenteis
Nuda capillos.
Hinc pijs almos animis supernæ
Lucis immittit radios, tenebras
Dissipans spissas, procul inde vt omnis
Exulet error.
Interim fœta peregrina terra,
Tempori sese manifesta pandit,
Tempori rursum latitat, fugaci
Tempore creta.
Hanc Plato frustrà numerosus acri
Mente vestigans, Anyti reúsque,
Porticus & qui tenebrosa primus
Dogmata fudit:
Quique cognomen celebre ambulando
Traxit, & laxus Genio ministram
Qui dedit linguam, Cynicûmque turba
Morosophorum,
Excidit: saltus pulicis rotundi
Dum stupet, summum penetránsque Olympum,
Captat Ideas, agileisque captat
Entelecheias.

Qui

Qui sui vanis nimium tumebant
Ingenî neruis, fragilique testa,
Hos Deus spreuit, nitidáque cæli
Risit ab arce.
Hisque diuina reserata voce est
Veritas, qui nil sapuere, quorum
Et rudem nulla expolijt Scholarum
Pagina mentem.
Tempori, casum miserata nostrum
E sinu labens Deitatis alma,
Venit in mundum, subiitque vilem
Carnis amictum:
Se viam nobis statuens patentem,
Cuius in Verbo intemerata fulget
Veritas, neue est aliundè Veri
Forma petenda.
Solus immunis macula & serena
Veritas Christus, sapientiaq;
Doctor aterna, sapiens, ἀληθὴς,
Et φιλαληθὴς·
Quisquis hanc vltrò fugitat, prophanas
Semitas vrgens, Stygia peribit
Nocte deprensus, cariturus omni
Munere lucis.
Hanc student vnam celebrare sancti
Cœlites, laude haud metuente finem,
Veritas vna est scopus, atq; Gades
Mentis honesta.
Quisquis Arctois riget à pruinis,
Suetus in laxis equitare campis,
Qui viam sentit nimis æstuosam
Solis iniqui:
Quem nouis spectat radijs, quadrigis
Regna collustrans Nabathæa claris,
Adsuum Phœbus properans, premente
Nocte cubile.

Vnum habet totis opus hac medullis
Perfrui, & latos satiare vultus,
Hoc opus cunctos, labor hic fatigat
Nocte diéque.
Diua fucatis inimica linguis,
Quam Fides albo cooperta panno
Mente sectatur stabili, simulque As-
traa virago:
Pelle laruata malè sana gentis
Dogmata, instinctus imitata diuûm,
Pellito anfractus aubios, dolosos
Pelle Meandros:
Pelle fallaces animi tenebras,
Longa quas vexit series, iniqui
Temporis lapsu, insidias Latini
Pelle colubri.
Ut tuus longè pateátque latè
Splendor in terris speciosus, vtq;
In tuo sanctum videamus omnes
Lumine lumen.

Historiæ, Poeticésque laus.

PElida tumulum veneratus dicitur olim
Regnator populi maximus Æmathij.
O nimiùm fœlix, heros fortissime, clamans,
Viuenti cui tam fidus amicus erat:
Cuius item maneis Smyrnai buccina Cygni
Concelebrat, superos euehit adq; deos.
Illius acta lyræ resonant illustria cantu
Mæoniæ, & celsis æmula fama polis.
Ast hic qui solio Persen detrusit ab alto,
Inuictúsque duces fregit Achæmenios:
Qui tulit Eoas victricia signa per vrbes
Regnáque fulmineo per Nabathæa gradu,
Quem vexit rapidis præpes victoria pennis,
Fortunæ summum sustulit ínque gradum.

Quique

Quique animo ingenti totum conceperat orbem,
Pulsâratque minax Solis vtranque domum:
Præconem nulla potuit mercede canendis
Conformem factis, nec reperire parem.
Fœlicis numeros sortis compleuerat omneis,
Musica si Marti gloria iuncta foret.
Inuida sed votis Rhamnusia restitit, vlla
Ne res ex omni parte beata foret.
Vnus erat placido quem nunquam lumine natum
Calliope vidit, Chærilus vnus erat.
Hic voluit fidibus committere viribus impar
Acta Ducis, rerum est pondere fracta chelys;
Stridula disperdens iratis carmina Musis,
Splendida & ingenij crimine facta premens.
Sed plagosa malum manserunt præmia vatem,
Iustáque pro meritis damna Poeta tulit.
Quisquis enim tentat, faueant ni numine læto
Aonides, forti promere digna viro:
Gratia ni Musis adsit, geminæque sorores,
Ni premat hunc toto pectore blanda Venus:
Syncerum demens vas incrustare laborat,
Et nebulam stellis spargere candidulis.
Corporis, hoc metuens, formam dux inclytus vna
Iussit Apellææ pingier arte manus:
Æreus vt summa prostaret ab arte Lysippi:
Vnius è leui marmore Praxitelis.
Optauitque magis Thersitæ nomen Homeri,
Quam lyra Achillæum Chærili habere decus.
Nam malè picta nigrant præclarè facta, canora
Mellifluo è contrà carmine Musa beat.
Illius hoc opus est, in apricum mittere, viua
Résque hominum gestas concelebrare tuba.
Illius, occiduæ senium depellere famæ,
Atq; putri fastos asserere interitu.
Non Babiloniaco pomeria pendula cœlo, pom
Plúsq; minax murus quàm mulieris opus,

Non Halicarnassi moles memorabilis, altum
Quam tulit in cœlum prodigiosus amor:
Gloria non Ephesi Polymastæ templa Dianæ,
Non structa è dextris cornibus ara Dei,
Non miranda Rhodo vasti sculptura Colossi,
Phidiacæ exemplum nobile & artis ebur,
Nec queis se iactat timidi leuis accola Nili
Pyramides, veterum signa stupenda ducum,
Ornatum adijciunt tantum, nec tempore tanto
Illustrant clarum nobilitántque virum,
Quantum Diua potens numeris, & cantor Apollo,
Chordula dulce sonans Pierijque modi.
Sed magnum laudare virum res plena perîcli est,
Inuidiæq; patens, & speciosa nimis.
Nam quæ pulchra, eadem in summo Natura locauit,
Non cuiuis parent tecta Ephyræa rati.
Cygnæam paucis datur effudisse querelam,
Carmen non quiuis exequiale canit.
Funerei hæc cantus, hæc lex epigrammatis esto,
Quæ gemmæ, Assyrij littoris indigenæ:
Nimirùm vt niteat, dentem & contemnat acutum,
Et pretium in paruo corpore grande ferat.

Ad Iacob. Batsonem, mollem nimis & effœminatum Epitaphographum.

Batsone, quid Tragico deplangis funera luctu,
Fortia? quid fortem tàm muliebre gemis?
Pectora quid tundis? Capitis quid rumpis honores?
Quid facis excelsis inuidiámque deis?
Masculáque ad molleis inuitas lumina fletus,
Vt se dediscant sollicitásque viros;
Præstantes virtute viros, animóque, locóque,
Et rigidæ functos munere militiæ;
Hos ne viros audes absurdo obtundere cantu?
Mirum ni pudeat te pigeatque tui.

Hoc

Hoc verè grauium docuit non turba Sophorum,
Nec series longa textilis historia.
Non deus, aut ratio, natura, aut viuida virtus,
Non mens occulta conscia lætitiæ:
Cedere magnanimûm neque nescia corda Laconum,
Erecta aut veterum gloria Romulidûm.
Res humilis nimiùm & generosa indigna Lacæna,
Sic modò defuncti plangere busta viri.
Rectiùs ille senex Rhudiarum insignis alumnus, R
Sic funus querulis vindicat à lachrimis:
Nemo meum fletu studeat perfundere bustum,
Nam viuo ac volito docta per ora virûm.
Quid Latius fidicen, Venusinæ gloria gentis,
Non vno sat habens te monuisse loco?
Nonne superuacuos tumuli condemnat honores,
Et decus extremæ spernit inane pyræ?
Illustris Grylli quid proles, lumen & vrbis
Mopsopiæ? Quid nos Attica Musa docet?
Audito nati generoso funere, vix est
Dignatus capitis deposuisse decus.
Iámque agè, quid præstans fidei de pectore Paulus
Fulmineo, quid iam pagina sacra sonat?
Christigenam ne quis terreno carcere tandem
Exutum, lachrimis lugeat immodicis,
Sicut habens mentem densa in caligine mersam,
Expertémque spei, turba prophana facit.
Non sic alma Fides, fragilem nam corporis vsum
Odit & infracta sydera mente ferit.
Dissoluiq; cupit, dulci & conuiuere Christo,
Quicquid mundus amat, stercoris instar habens.

In obitum Edmundi Traffordi, Equitis splendidissimi.

O Nunquam moriture heros, cur mortuus esse
Diceris, hic potius viuere, dico mori.

Viuis,

Viuis, in æternum viuis, Trafforde, *nec istam*
Quæ rapiat vitam luxerit vlla dies.
Viuenti in Christo mors non damnosa, sed amplus
Cælestem in requiem transitus inde patet.
Cultorémque suum placida sub pace repostum
Se penes inuicti dextra Tonantis habet.
Illinc te mortis vis extorquere tremenda,
Nec poterit Stygij nigra caterua Iouis.
Occidis ad iustum decurso tempore filum,
Occidis & multa conspicuus sobole:
Pace, domique potens, bello metuendus & armis,
Nobilis, & clara septus amicitia.
Te mitem vidit Mancestria læta patronum,
Téque magistratum sensit iniqua manus.
Denique dilectus cunctis, cunctisque verendus,
Fortunæ & cunctis dotibus auctus obis.
Patria vermiferos cineres suscepit & ossa,
Ac placidè in placido clausit amata sinu.
Spiritus ast victor flammantia mœnia cœli
Transilit, &, superis gaudet adesse choris.
Vnde humiles terras, vana & ludibria mundi,
Fallaces fœlix ridet & orbis opes.
Lucéque perfruitur clara genijsque per æuum
Æthereis, laudans te sine fine Deus.

De sacræ Scripturæ præcellentia.

FIdus cum strueret tentoria sacra minister
Præscripto inuigilans Numinis Amramides,
Amramides quo nil vidit Sol pulchrius ore,
Quo nihil in toto mitius orbe fuit:
Præscia distinxit triplicem Sapientia sedem,
Et loca trina suis condidit officijs.
Extremúmque vago iussit seruire popello,
Et patulum voluit vulgus habere locum:
Vnde suum tremulo veneretur murmure Iouam,
Expectétque sui verba sacrata Dei.

Qui

Ast medium sacra iussit parere cohorti,
Inq; sacerdotum sorte manere locum:
Vt studeant vigiles operosa adsistere mensa,
Atque Deum precibus conciliare pijs.
Hisq; datum est querula pracepta mirantia plebi,
Et tabulas docta pandere voce graueis.
Tertius est strepitu, visuque remotus ab omni,
Tutus, & augusta relligione sacer.
Fama volat patrios gaudere hac sede penates,
Hac sede aterni fœderis arca fuit.
Vnicus hac casto penetrauit lumina summus
Antistes, sed non absq; cruore, gradu.
Arcanas tacito cui fas vidisse figuras,
Annuáque abstruso sacra referre Deo.
Alme Deus, quid scena triplex, quid machina monstrat?
Insolitum quid nos mystica imago docet?
An mihi sub crasso designat cortice, quondam
Venturum lato sydere pontificem?
Qui proprio lustret periturum sanguine mundum,
Placet & iratum victima iusta patrem?
Quiq; ignota priùs reseret mysteria vates,
Et radijs noctem dissipet athereis?
Aurea lux aderat labentibus obuia seclis,
Obuia peccatis aurea lux aderat:
Cum tremuit subito perculsus lumine mundus,
Fulsit & è summo gloria magna polo.
Emisitq; sacras diuina potentia voces,
Quas duro exceptas fata adamante notant.
Filius ecce venit, Iudaa gloria gentis,
Vita, salus mundi, filius ecce venit.
En mihi dilectum penitùs, parete docenti,
Delicias anima dimidiúmq; mea:
Hunc quisquis sequitur doctorem, deuia veri
Nox fugit, & vita semita clara regit.
Occidet hoc mundi sapientia vana loquente,
Occidet & tumidi gloria Morosophi.

Conteret hic colubri sinuosa volumina prisci,
Sub pedibus dirum conteret atque caput.
Sicut equos vrgens Hyperione natus anhelos,
Cum primam rutilo tollit ab axe facem;
Nox fugit, & nitida disiectas luce tenebras
Mirantes oculos pascit amica dies:
Lubrica sic cæci prosternet dogmata mundi,
Diuino omnipotens qui fluit ore logos:
Plasmantis vitream sic frangit dextera testam,
Ferrea quam facili verbere virga peremit.
Conticeant tripodes, Phœbi & cortina canori,
Dæmonis & quicquid subdola verba sonant.
Abscondat camuram Garamantum gloria frontem,
Mentiri metuat quercus amica Ioui.
A facie tanti doctorum turba magistri,
Labra premat, tacitum præstet & Harpocratem.
Nec te pæniteat Paulum auscultare monentem,
Cæcropi, duntaxàt nomine spermologum.
Hac noua nec pigeat doctum didicisse Platonem,
Ignotúmque Deum discat Aristoteles.
Ventriloqui sileant vates, ranæq; loquaces,
Nugaces tandem conticeant q; schola:
Delirans taceat stolido cum carmine Bardus,
Túque animæ Druidum prodiga turba sile;
Emergens terra, sileat doctrina Tagetis,
Ecce venit cœlo certa propheta canens.
Insignem taceat venerando vertice Flamen
Attollens apicem & grande supercilium.
Tum fibris inhians sileat, non prouidus augur,
Fumida nec pecudis consulat exta miser.
Tu quoque docta fouens mendacia, barbara Memphi,
Vt tandem sapias, proÿce monstra Deûm.
Proÿce quos Satanæ solertia nigra maligni
Inuexit, libros proÿce falsiloquos.
Quiq; stupes bibulo Phœbæam in puluere mensam,
Doctaque Tantaleus cui lauat ora latex,

Har. græ= / cus phil. silentium / [illegible] rebus antepon. / [illegible]per.

σπερμολόγος.
Seminilegus. quo nomine dicta est avis. Qui
σπερμολόγοι inde dicti sunt viles homines, qui ut frugi-
lega avis, semina colligentes in foro è saccis effusa,
aliorum sumptu vitam tolerant. vel qui libentius verba
fundebant, verbosi, blaterones, loquaces.

Qui tibi turpe putas reditura parcere vitæ,
Inijcis & tremulis frigida membra rogis.
Vanescátq; procul Babylonius incola, veri
Dum numerat stellas, nescia corda gerens.
Stulte quid exploras summi secreta Tonantis,
Pectora nec sanctis excolis officijs?
Corruit alta petens, Sapientia stulta, potentis;
A facie veri præcipitata cadit.
Corruit & magica deceptor Persidis arte
Nobilis, & vano nobilis ingenio.
Nam cui Christus abest, densa in caligine mortis
Is sedet, huic oculos nox premit atra graueis.
Quantúmuis Sophiæ videatur munere clarus,
Si sacro hunc Christus Pneumate destituat:
Nititur incassum, reuolubile tollere saxum:
Errat & amisso mens studiosa scopo.
Deserit hunc quisquis, procul hinc, procul ille facessat,
Εἰς κόρακας, miseris sit miser atque modis.
Bisaltas vltra fugiat, nec Phœbus amicis Bisaltæ gens Macedon
Tàm caput infandum prospiciat radijs.
Ne maculosa pecus vicinum lingua venenet,
Neu vitiet serpens latiùs aura gregem.
Vnica lux animi Christus, vitaq́; magister
Vnicus, excelsi missus ab arce poli.
Hunc qui non tenuit, vana deliria mentis
Cogitat, atque ægro somnia corde fouet.
At capit ingentem Pellæus corde Tyrannus, Alexander magnus
Non veritus scriptis prodere, lætitiam;
Quòd tàm fœlici genuisset pignora seclo,
Queis præceptorem sciret Aristotelem.
Quid tamen è docta contraxit voce magistri?
Qualis & è ludo prodijt omniscio?
Fœlix prædo orbis, iusti contemptor & æqui,
Ambitione tumens, ingenióque ferox.
Ingratus multis, non exorabilis vlli,
Sæuitiæ indulgens, æmulus atque Deûm.

Non doctrina sagax, facundáque lingua magistri,
Molliuit mores, nec dedit esse probos.
Nam frustrà assiduo desæuit verbere doctor,
Incassúmque manus exhibet artifices;
Ni fera corda domans ex alto sanctus Olympo
Spiritus humanum finxerit ingenium.
Lex augusta animum mutat, flectítque Tonantis;
Ut canis ad cytharam diue propheta tuam.
Spiritus est qui vera docet, qui vera fateri
Nos facit, & mores corrigit indocileis.
Et veluti blando Zephyrus ni flamine terras
Verberet, & læti murmuris aura sonet:
Dulcia non fundit moriturus carmina cycnus,
Nec studet argutos ore ciere modos:
Sic Christus placido lustret ni lumine menteis,
Fallimur, atque labos irritus omnis erit.
Spiritus alme sacro penetras qui flamine mundum,
Spiritus, ô veri fons & origo boni,
Quem penes est vnum docta facundia linguæ,
Pectoris & grati qui pia plectra moues:
Adsis ô paraclete, animísque illabere nostris,
Diuinam & studijs porrige mitis opem.
Vt tandem veri facies veneranda, salutis
Et vitæ, è sacro codice monstret iter.

Ad Ia. Guysum.

OMnes, siqua fides Horatianæ
Debetur cytharæ, peculiari
Cantores vitio leues laborant,
Ut nunquam instituant subindè iussi,
Decantare animum; suásq; amicis
Immenso pretio indicent Camœnas:
Iniussiq; modum sciant nec vllum,
Nec finem dare Næniæ strepenti,
Et neruis requiem, negant misellis,
Hos inter meritò meas licebit

Musas

Musas pertenues & inuenustas
Doctus connumeres catúsque Guyse.
Sed post quam rudibus recens puellis
Pingui texuimus rudiq; filo,
Nugas, si tamen est amor videre,
Dignas non satis arbitror Catone,
Nec limam benè Persij ferenteis;
His donec meliora parturimus,
Lustrans lumine ineptias amico,
Æqui fac studium boníque nostrum.

De veræ amicitiæ examine.

VT fuluum indicio voracis ignis
Fornace in rapida probatur aurum:
Sic cum perfida proterit iacenteis
Horrenda Nemesis ruens procella,
Apparet liquidò, micánsque tandem
Clarescit stabilis fides amici.
Ad res plurimus aduolat secundas,
Fortunæ leuis assecla affluentis;
Sed tristem Pylades, premente fato,
Solatur comes infrequens Oresten.

De fabulis legendis.

ÆSopi, externo tantùm de cortice si quis
Æstimet, est plusquam puerilis fabula; verùm
Si excutias vigili penitùs sub lumine, cernes
Ingenium authoris solers, sensúmque profundum,
Largitèr vnde beet Sapientia Diua legentem.
Ecquid enim (nobis ne longè exempla petantur)
Prima docet? Circùm & circà dum scalpurit, ecce,
Immundo gallum reperisse in stercore gemmam.
Et quia nesciuit pretium, nesciuit vt vsum,
Vno ordei grano post hanc habuisse repertam.
Pluris apud stultas nugacia gaudia menteis

Quàm Sophiam & diuûm cœlestia munera pendi.
Vnde homini fallax & tàm præpostera cura?
Nempè fugit pulchræ pretium Virtutis,& almæ
Mentis opes,pronum in terras,seruiléque ventris
Mancipium,officij facies cui sordet honesti,
Compositiq; animi splendor: qui mole caduci
Corporis est tanto potior, spatiosa iacenteis
Exuperant quanto cœli curuamina terras.
Nec Sophiæ studijs capitalior ingruit hostis,
Quàm rudis & crassi tenebrosa proteruia cordis.
Iccircò sacris vindex sanctissimus orbis
Eloquijs vetuit, canibus committere sanctum,
Vel suibus rubro collectam è gurgite concham.
Quippe fore, vt nitidum rostris pedibúsque lapillum
Hi calcent, illi morsu lacerare cruento
Obuersi authores diuini muneris instent.
Pura etenim puro est aptissima testa liquori,
Cœlitùs [illegible]q; cadens diuini gratia roris,
Afflictæ & tristi longè est gratissima menti.

De Occasione.

PAlladis Ausonius miles, Phœbiq; sacerdos,
 Celtarum, patriæ Burdegalæq; decus,
Temporis è Græcis sic desumpsisse figuram
 Dicitur,& graphicis composuisse modis:
Luxuriat fluxus generoso in vertice crinis,
 At glabra deformat posteriora,cutis.
Insistitq; rotæ volucri, sphæraúe rotundæ;
 Deniq; falx ambas armat acuta manus.
Atqui non satis est externo in cortice tantùm
 Hærere, aut prima sistere fronte gradum:
Altiùs at penitùs figendum est lumen in istum
 Silenum, sub quo mystica sensa latent.
Quid sibi vult facies hinc calua, atque indè comata?
 Quid rarum docet hoc in muliere malum?

Carpe horam iuuenis, celeri ne crede diei,
Vtere, dum fas est, tempore, námq; fugit.
Námq; fugit rapido nunquam remeabile gressu,
Decursáq; negat posse redire via.
Ad studium nos hæc virtutis adurget imago,
Ætas dum patitur florida, dúmq; fauet.
Temporis vt nobis ratio benè iusta peracti
Constet apúdq; homines, constet apúdq; Deum.
Cur orbem pedibus celerem premit? id monet, esse
In cursu, ac nunquam sistere posse diem.
Iam superest, nobis falcis quid monstret imago,
Dicere. Quid nos vult mucro docere minax?
Omnia mordaci quòd carpit dente vetustas,
Quæ Sol igniferis despicit actus equis.
Nil proprium, constans, solidum aut durabile, fallax
(Virtutem prudens excipe) mundus habet.
Vna aciem falcis virtus obtundit, in auras
Cætera vanescunt, ceu vapor, æthereas.

De laudibus doctrinæ.

QVisquis Palladias postponere sustinet arteis
Auro quantùmuis multo, gemmæue nitenti,
Fallitur is, densa obductus caligine mentem,
Consimilis pecori rationis lumine casso.
Nánq; hominem à pigro quidnam secernit asello,
Quàm ratio & promptæ vocalia munera linguæ?
Aut, si vera loqui volumus, pietásque fidésque?
Deme homini cultum supremi numinis vnum,
Tantum aberit miser à fœlici sorte, creatus
Quam spectat, nihil vt proiectius, vt nihil vsquam
Vilius ostendat qui conspicit omnia Phœbus.
At sine doctrina recto moderamine cæca est
Relligio, adq; scopum fallax collimat iniquum.
Ergò agedùm, sacras fili ô charissime Musas
Sectēris, sitq; hæc tibi prima & maxima cura,
Queis homini melius magni nil arbiter orbis

Indulsit,

Indulsit, sed carpe diem, atque incumbitò chartis,
Dum vires anniq; fauent, dum flexilis ætas,
Dúmq; viget calidus iuuenili in corpore sanguis.
Nánq; ea quæ sequitur, castis non æqua Camœnis,
Degenerat multùm, atq; in peius defluit ætas.
Dum viret, hanc prudens dispensa; atque arripe tempus,
Dum patitur prendi, volat irreuocabilis hora.
Sisq; memor propero tibi quàm pede læta iuuentus
Terga dabit: credens omne interijsse diei
Momentum, studijs quod non Tritonia honestis
Vendicat, vt docto testatur Plinius ore.
Hæc hominem assimulat Genijs sine fine beatis:
Hanc honor & blando comitatur Gratia vultu.
Efficit hæc summis gratum acceptúmq; Monarchis;
Atq; bonum patriæ, sapientem & voce potentem.
Sed non Aonias celebrare hoc carmine Diuas
Est animus, quia iam spacijs constringimur arctis
Temporis; Atq; ipsas plena sua buccina voce
Diffundit, vastus quàm latè ostenditur orbis,
Æmula Phœbæis iaculantes lumina flammis.

De Sole, & Borea.

ÆSopus Phrygiæ monstrosus gentis alumnus,
Ingenio cuius se mystica fabula debet,
Auricomum venisse olim in certamina Phœbum
Threiciúmq; refert Borean: atque ecce pericli
Commoda materies aderat: nam fortè viator
Carpit iter, grandi depressus pondere terga,
Vtri excussa daret præsentem sarcina palmam.
Irruit ille minax violento turbine, cuius
Impulsu Nereus, vastúsque perhorruit orbis,
Horrendúmq; tonat frustrà; námq; omne ruenti
Collecta obijciens conamen veste viator
Propellit gelidum gressu luctante Tyrannum,
Propositámque viam succumbere nescius, haurit.
Iámque vices adsunt Hyperionis, ille micanteis

Depromens radios sensim placidéque, per auras
Effundit tremulas, penetrantia tela, sagittas.
Iámque viatoris lassi titubantia tandem
Genua labant, salsumq; exudant membra vaporem;
Impatiénsque æstus, onus haud iam molle, virenti
Et sese, iniecit, defecto poplite, terræ.
Inclyta Phœbæis cessit victoria flammis.
Discimus hinc, animi quanto præponderet acris
Corporeæ moli virtus: Mauortiáque arma,
(Magnus vt asseruit facundo Tullius ore)
Posse parum, vigilans nisi sit sapientia Consul,
Imperiúmque domi teneat, vireísque gubernet.
Nec longum officij aut fidum perstare magistrum
Custodémue, Metum; ratio nam ducit amicè,
Vis trahit. In summa, solerti Palladis arte,
Vixdum septenos puerum à natalibus annos
Egressum, nullo moliri posse labore
Plusquam centenas inculto robore dextras,
Rara Syracosij Geometræ virga docebat,
Qui primus teretem Sphæræ iniecisse Cylindrum
Dicitur, & rapidi pinxisse volumina cœli.
Organa dum, diuæ præclara inuenta Sophiæ,
Bellica, Trinacrij gratum confingit in vsum
Principis, & patriæ meditatur commoda terræ.

De vera fœlicitate.

DIc, precor, argentum quid sit? dic quid sit & aurum?
Hoc modò per superos dic mihi quæso deos?
Quid nisi terra putris, variæ distincta colore?
Hæc rutilat fulgens, candet & illa nitens.
Sic diuus fertur docuisse Hieronymus olim,
Ætherei interpres maximus eloquij.
Quid pelles (vitæ ludibria vana) superbæ,
Quàm spolia è captis, exuuiæq; feris?
Gemma quid (oro) micans? Phœbæis tempore longo
Concretus radijs, coctilis atque liquor.

Quæ non vllus homo, nisi quantum postulat vsus,
Aut probus, aut votis captat habere pius.
Vnicus hic nobis, hic murus aheneus esto,
Ad quem collimet mens satiata scopum,
Extra hominem nihil esse vsquàm, quod reddere possit
Fœlicem, hoc solis mentis inesse bonis.
Hoc non regna dabunt, non vitæ splendor, honósue
Non illustre genus, diuitiaue Midæ.
Cuncta hæc námque fluunt, rapidóque citatiùs Euro
Vanescunt, veluti fumus & vmbra sequax.
Hæc qui non tenuit, Pharijs immersa tenebris
Corda gerit, quicquam nec sapit ille Dei.
Nam si terrestris reddit fortuna beatum,
Est certè infœlix & miser, huius inops.
Æternùm floret, regnátque heroica virtus,
Quam penes est vnam gloria, vita, decus.
Non hanc fraus mendax specioso compta colore,
Non rapit hanc vis, aut furis adunca manus.
Mobilis hæc vna est fortunæ immunis ab ictu,
A filo pendent cætera quæque leui.
Inuersus quisquis negat hæc, Apuleius esto,
Humana in specie, cætera vile pecus.

De memoriæ vi.

QVanta sint & opes, & quanta potentia Diuæ
Mnemosynes, dubitet mens ægra, fidésque laboret,
Ni prudens vitæ præceptor traderet vsus.
Nec dos vlla viget diuini muneris, in qua
Mens magisætherei se iactet origine cœli.
Sed non immensas huius expromere vireis
Est animus, tantùm è medio depromere aceruo
In specimen, vacuisque libet committere chartis,
Immortale quibus decus hæc famámque parauit:
Vt pateat, quantùm diuina hic spiritus aura
Polleat, extensus neruos si exercitet omneis.
Primus Cecropijs nobis occurrit ab oris,

Ecce Themistocles, patriam dum linquit iniquam,
Exiliúmque subit, malè grata præmia gentis,
Arsacidûm didicit linguam, duodena priusquam
Igniferis Phœbus lustrasset signa quadrigis,
Vt cum rege loqui submoto interprete posset.
Cuius item regni fundator numine diuûm
Susceptus quondam latrantis ab vbere Cyrus,
In bellum cunctos qui sunt sua signa secuti,
Nomine quémque suo, numerare ex ordine quiuit.
Æacidæ potuit legatus voce Cynæas
Romanum propria cuique appellare senatum.
Virosi illustris regnator & incola Ponti,
Qui quater vndenos acie binósque per annos
Martem sustinuit, Latiali ab orbe furentem,
Vndecies binis fertur dictasse loquelis
Iura sedens populo, (totidem námque ipse premebat
Imperio gentes) populo & responsa petenti,
Vllius haud vnquàm suspensus ab ore sequestri.
Vis eadem docuit numerosos ordine iusto
Vel semel auditos Theodecten reddere versus.
Hæc qua nulla polo Virtus præstantior alto
A superis concessa Deis, splendescit ab vsu,
Colligit & vireis: vsu tardante senescit.

Ad Ri. Lucinum.

Massylæ exuuias feræ (vetustis
Vatum siqua fides inest Camœnis)
Indutus piger horridas asellus,
Cymæos malè territasse campos,
Atque immane fremens, mináxque fertur
Prostrauisse humili pecus timore.
Sed flaccæ indicio repertus auris,
Ludos præbuit, incolísque, risum.
Et pœnas nouus histrio pependit.
Sic quicunque rudi vafrè popello,
(Personam malè sustinens honesti)

Imponit, stolido facítque fucum,
Promet cuncta tuens, vigilque tandem
In lucem liquidò dies reuelans
Ridendum teneris propinat annis.
Sic aureis Phrygij dies Tyranni
Extensas (ita vindicante Phœbo)
Insulsas nimis, hispidas, agrestes,
Detexit: simul ac leues loquacis
Tonsoris segetes vibrauit Eurus.
Æsopi propriam grauata sortem
Flauæ quæ fuerat comes Mineruæ,
Furtiuis auium superbit ales
Plumis, atque sibi placet faceta.
Mox prodente die, emicant rapaces
Technæ, & quáque suam petente vestem,
Risum pennigeræ mouet cohorti.
Haud fucata diù virent, vigéntque,
Nec radice valet dolus profunda.
Si quæras solidum decus, nec vnquam
Dissolui metuens, relinque fucos,
Obscœno cane peius & colubro,
Artes & Stygij Iouis nefandas,
Qui sumit Genij nitentis ora
Perquàm candida, blandula & venusta,
Incautis tacito nocens veneno.
Metiri pede te tuo mémento,
Pennas próque modo fouere nidi.
Hic scriptis scopus est, vale, tuámque
Sparten quæ obtigit expolire curans,
Esto quod cupis ipse te videri.

Horatij Ode prima, in aliud metri genus transfusa.

NObilitate potens & auiti stemmate honoris
Mecænas, decus ô præsidiúmque meum,

Sunt, quibus est cordi Pisao è puluere palma,
Vitata & rapidis meta petita rotis;
Quos iuuat immensum titulis spargenda per orbem
Gloria, & æthereis æmula fama Deis.
Sunt, quos ad summos numerosus punctus honores
Romulidûm tollit, tergeminúmque decus.
Est alius, duro docilem cui vomere terram
Et patria incuruo rura mouere libet.
Hunc si flaua Ceres alto respectet Olympo,
Vbere distendens horrea magna penu:
Non vllo sortem precio commutat auitam,
Ægæa vt timidus nauta profunda secet.
Mercator vitæ metuens, vrgentibus Austris,
Dum maris & cœli vasta ruina tonat;
Fœlices iactat ciueis, solamina ruris
Prædicat, & patriæ mœnia tuta suæ.
Mox tamen ereptus pelago, portúque potitus,
Subductas sarcit, restituitque rates.
Vsqueadeò miserum est, partæ iam stare quieti,
Indocili curtam pauperiémque pati.
Martius ast multos æris canor, & tuba belli,
Munia gaudentes ad lacrumosa rapit.
Venatu indulgens alius, nec curat amatæ
Coniugis, infesti nec meminisse Iouis.
Seu visa est rapidæ latrantum cerua cohorti,
Seu ruit obliquo dente tremendus aper.
Ille caput fontis sacrati propter amœnum,
Cœlibe diffusus sub platanóue cubat.
Continuátque diem, curis exutus amaris,
Nunc Baccho & Cereri, nunc Veneríque litans.
Me castis hederæ dilectæ præmia frontis
Nobilitant Musis, dijs faciúntque parem.
Egelidúmq; nemus, me rustica numina, Panes,
Tergemina & Nymphis Gratia iuncta soror:
Si mihi dulce sonans aspiret fistula diuæ
Euterpes, blandæ Terpsicoresue fides,

Si nec Lesbiacum refugit Polihymnia nablum
Tendere, nec digitis plectra citare suis.
Quod mihi si Lyrici permittis vatis honores,
Si das Aonij iura verenda chori,
Excelsò feriam radiantes vertice stellas,
Vtrúmque ac resona voce mouebo polum.

De lusu à præceptore concesso.

QVamuis ingenuos lasciua licentia mores
Corrumpat, mentes inficiátque rudes:
Vtiliúsque fiet duris sauire lupatis,
Libera lasciuo quàm dare lora gregi:
(Exemplo iuuenis tristi Clymeneius esto,
Astrifero in Latium missus ab axe Padum)
Cum tàm blanda tamen, támque officiosa dedisti
Carmina, item docto carmina digna viro:
Tyrones olim memores vixisse, minaci
Et trepidam ferulæ supposuisse manum;
Nos tibi nos studijs damus hoc communibus, vtq;
Nunc initæ primum pignus amicitiæ.
Effundat sese spatiosos liber in agros
Grex iuuenum, fessos lætificétque animos.
Colludántque pares animis, ac viribus æquis,
Flos legat & florem, pes premat atque pedem.
Seu certare iuuat cursu, nudáue palæstra,
Seu quibus ad metam missa sagitta placet,
Seu tentare libet saltum, nandíque periclum,
Seu queis certamen saxeus orbis erit.
Denique se oblectent lusu, sed semper honesto,
Tertia declinem cum rotat hora diem.

Quis Deus? & qualis.

QVis Deus, & qualis, cœlestis littera pandit:
Spiritus æternus, mensuræ & corporis expers:
Vnicus & rector, spaciosi & conditor orbis.
Cuncta tuens, & cuncta potens, sanctúsque, bonúsque,

Omnia

Omnia sufficiens, sapiens, atque arbiter æqui,
Clemens, ad veniam propensus, tardus ad iram,
Aspectum fugiens, cùm nil sit clarius ipso;
Nescia principij substantia, nescia finis.
Hæc scriptura docet, ratio submissa quiescat,
Humana captum transcendunt cætera mentis.

In Raphaelis Holinshedi Chronica, Ranulphus Barlous.

TEmpora *qui loquitur, seriem qui denotat æui,*
In memores Fastos *qui trahit atque dies:*
Temporis *hic custos, & dispensator habetur,*
Atque illud seruat, cuncta quod interimit.
At quis Holinshedo *de* Tempore *plura reclusit?*
Siue quis Annales fusiùs explicuit?
Parce ergò ô Tempus *fidum temerare patronum,*
Cultorémque tui fac recolendo colas.
Parce, inquam, curua qua demetis omnia falci,
Hoc opus expungat ne cariosa dies.
Quin potiùs charum geminis amplectitor vlnis
Præconem, officijs atque repende vices.
Æquo id si facias animo, tibi gratia habenda est:
Sin minùs, inuito Tempore *stabit opus.*
Viuet Holinshedus *cum* Tempore, Tempus *in omne,*
Atque vltra Tempus, *quod Deus ipse dabit.*
Cum Nox atque Dies, cum Tempus *desinet ipsum,*
Tunc opus hoc clarum desinet esse simul.

Vna Epistolarum Politiani ad Laurentium Medicem, carmine reddita.

A*Mniuago affinis cygno est similisque Poeta,*
Ambo candentes, & amantes fluminis ambo.
Dulcè canunt ambo, Phœbo charissimi & ambo.

Sed

Sed refugit cantum, Zephyri ni gratia, cygnus,
Aspiret, pulchrum cantúsque immittat amorem.
Tristia ne tu igitur mirere silentia, cùm tu
Qui meus es Zephyrus, non spiras, morbidus, eheu,
Eheu, nec blandum mihi Musæ infundis amorem.

De Digitis.

RObore præpollens digitus, sit nomine Pollex.
Proximus indicio præclarus, dicitur Index.
Deridet medius, meritóque Infamis habetur.
Aureus exornat quem circulus, is Medicus sit.
Ultimus ast aurem fodiens, fiet Auricularis.

Distichon Epitaphicum, æri incisum, & tumulo D. *Ioannis Brunsuerdi*, Præceptoris optimi, in templo Maclesfeldensi apud Cestreshyrios sepulti & repuluerascentis, affixum: qui placidissimè in Domino obdormiuit *15. Aprilis, 1589.*

ALpha Poetarum, Coryphæus Grammaticorum,
Pædonomûn Phœnix, hac sepelitur humo.

Thomas Newtonus.

FINIS.